

EXAMEN CENSURÆ

Christum novæ Legislatorem esse & jure sic vocari ostenditur.

cula sanè hæc Theologia est, & quæ non potest sapere, nisi quibus mens læva est. Quid verò etiam est, quod clarius, disertiusq; in Evangelio traditur, quam Christum Legislatorem nostrum esse? An non ipse passim dicit; *Hoc est mandatum meum: Mandatum novum do vobis: Vos discipuli mei eritis, si feceritis quaecunq; ego mandavi vobis: Audiistis dictum fuisse Veteribus: Ego verò dico vobis?* An nò ipse mandata sua sancit promissionibus præmiorum & pænarum comminationibus? Et quid aliud quæso est Legislatorem esse? Adde: An non judicium peragendum dicitur *secundum ejus Evangelium?* an non ipse judex erit & judicem se futurum affirmat eorum, qui vel Evangelio obediverunt, vel ei obedire detrectaverunt? Certè hoc plus est quam Legislatorem esse. Quod si quis velit huc adducere omnia ea loca, quibus Dominus Jesus cum Evangelio suo confertur Mosis, imò ei longè præfertur in legislationis dignitate, ut Act. vij. Hebr. ij. 1. 2. 3. & iij. cap. vers. 5. 6. aliaq; similia plura, is facilè intelliget, nihil insulsius unquam excogitari posse, quam quod Censor adedò sollicitè negandum putat, Christum, videlicet, N. Fæderis, seu Novæ Legislatorem esse. Sed ex Prædestinatione fatali, veluti ex Lerna quadam, omnia hæc perversa placita oriuntur, atq; oriri necesse est: ubiq; indicia non obscura videre est, unde patet ex isto fonte Censuras plerasq; & acerrimas imprimis manare.

IN CENSURAM CAP. XIV.

De Precatione & Gratiarum actione, & speciatim de oratione Dominica.

Quæ hoc Capite censentur, ea pauca sunt, & quæ maximam partem dependent à quæstione de Prædestinatione, quæ per totam hanc Censuram penè utramq; paginam facit. Nos ea libabimus. Non enim tam censet Censor, quam quærit, ut habeat quod censere possit. *Necesse est, inquit, ut Remonstrantes in iis se clarius explicent, si pro orthodoxis haberi velint.* Audiamus ergo quæsitorem. *Querimus, inquit, quid sibi velint, cum dicunt, ideò precationem fidelibus esse necessariam, quia ipsa hominum fidelium vita, & præsertim ipsa fidei obedientia, &c. non paucis necessitatibus obnoxia est; cur fidem ipsam*

sam